



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

H.G. hum.

41 h

H. g. hum.

47 h

Dissertationes

Ex donat. Molliana.

H. g. hum. *no 3* *orard* *asticht.* *Fl*
47 h **G. V. M.** *Dissertationes*

DISSERTATIONES

DE

H. gen. h
41 h

ORIGINE JURIS

NATURALIS

ET

SOCIETATIS CIVILIS.

R



ULTRAJECTI;

Ex Officinâ JOHANNIS vande WATER,
Bibliopolæ LXXXIV.

**Bayerische
Staatsbibliothek
München**



DISSERTATIO

D E

ORIGINE JURIS

N A T U R A L I S.

§. I. **I**N magno errore versari mihi videntur, qui jus naturale homini coævum statuunt, ejusque originem & principium ex nondum corruptâ nullisque maculis adpersâ primævi nostri parentis naturâ petunt: Sibi persuadentes rationem naturalem, quâ summum numen universi hujus, id est, totius naturæ auctor & parens, hominem præ cæteris creaturis ornaverat, adeo juris naturalis fontem, fundamentum ac basin esse,

esse , ut unum sine altero existere nequeat , quamobrem tam arctam concatenationem inter rationem , quâ homo præditus est , & jus naturale fingunt , ut à se invicem divelli neque sejungi ullâ ratione queant ; verum positâ ratione naturali , etiam & alterum poni necesse sit : Ita ut quando concipio rectam rationem , simul concipiam jus aliquod naturæ , quoniam jus naturale nihil aliud sit , quam rectitudo rationis , uti differit Osiander in suis annotationibus in Grot. de *J. B. & P. lib. 1. cap. 1.* ubi igitur illa ratio , ibi jus naturæ est ; sunt enim relata & quemadmodum nulla proles sine genitore , ita nullum jus sine ratione , neque ulla ratio sine jure naturali fingi aut excogitari potest.

§. 2. Hanc vero rationem , inquiunt , Deus soli homini largitus est , ut , quemadmodum cætera animalia impetu quodam naturæ reguntur , ita homo rationis lumine duceretur , & eâ moderatrice omnes suas actiones ad divinam gloriam augendam dirigeret

ret : itaque per hominem animal ratione præditum, intelligi volunt animal cæteris animalibus, impetum & inclinationem naturalem sequentibus, longè præstantius, omnes actiones secundum illam rationem ejusque dictamen dirigens ac formans, easque ex convenientiâ aut disconvenientiâ cum naturâ rationali rectas vel pravas dijudicans. Ex quo sequitur, hominem nunquam ex legem fuisse; quippe cum sit impossibile, hominem qua animal rationale, sine ratione id est animâ rationali concipere, ita etiam impossibile est hominem sine jure aut legibus naturalibus unquam vitam transgisse.

§. 3. Sed eheu ! quantæ tenebræ eorum cerebro offusæ sunt, qui ejusmodi in lucem propellunt argumenta. Qualis enim hæc ratiocinatio ? Homo rectâ ratione præditus est, ergo leges habet naturales. Facile concedo leges naturales, quæ rectæ rationis dictamina sunt, duce eâ nobis innotescere : Verum non video arctum illud vin-

culum juris naturalis cum illâ ratione, quasi unum sine altero existere non posset, ut nonnulli somniant: Quippe jus naturæ diversum quid & separatim puto ab illâ rectâ ratione, de quâ jam sermo est: Dictat quidem ratio quid justum, quid injustum sit; verum non procedit ista conclusio, dictamen rationis id est jus naturale, & ipsam rationem unum idemque esse, ut vult Osiand. Jus enim præsupponit injuriam, injuriam dicimus quod jure non fit, quod justitiæ contrarium est. Quemadmodum enim bonum nobis innotescit per oppositum scil: malum, ita justum novimus per oppositum scil: injustum, itaque quando jus aliquod concipimus, eodem momento concipimus aliquod huic juri contrarium, quod uno verbo injustum appellatur; nam ex hac oppositione elucescit, quid justum, quid injustum est, ubi igitur nulla injuria est, ibi nullum jus est, scil: respectu hominis rationalis, quatenus non potest habere ideam boni &

& justi tanquam oppositum mali & injusti.

§. 4. Si igitur homo in statu integro non potuerit habere ideam boni, licet rectam rationem habuerit, quia non posset habere ideam mali (quippe omnia, quæ creaverat Deus, bona erant) ergo nullum jus, nullam legem naturæ habuit, quæ eum impelleret ad faciendum, quod statueret rectum, fugiendum vero, quod judicaret malum: Jus enim naturale nihil aliud est, quam dictamen rectæ rationis, id est, distinctio quædam justii & injusti, boni & mali ab animâ rationali profecta & nobis oblata, ut factorum & dictorum haberemus rationem; cum autem illa distinctio ab animâ produci nequeat, nisi prius existant objecta, quæ distingui debent, ex quorum contentione anima dijudicat illud injustum, hoc justum, illud malum, hoc bonum esse: hinc concludimus, leges naturales in integro hominis statu nullas obtinuisse, quod bonum & malum, legis ob-

A 3

jecta

jecta non extiterint. Optimè itaque Gryfippus apud Gellium in *noct. Attic. lib. 6. cap. 1.* Nihil est prorsus istis imperitius, inquit, nihil insubidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent ibidem mala; nam quum bonis mala contraria sint, utraque necessarium est opposita inter sese, & quasi mutuo adverso quædam fulta nisu consistere. Nullum adeo contrarium sine contrario altero. Quo enim pacto justitiæ sensus esse posset, nisi essent injuriæ? aut quid aliud justitia est, quam injustitiæ privatio? quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviæ oppositione? quid continentia, nisi ex intemperantiæ? quo item modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia? proinde, inquit, homines stulti, cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, & non sit mendacium? namque itidem sunt bona & mala, felicitas & infortunitas, dolor & voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum est. Sustuleris unum; abstuleris utrumque. Et hanc opinio-

nem

nem etiam amplexus est doctrinâ & ingenii acumine florentissimus Lambert. Velthufius in suâ disputatione de pudore naturali. Ubi affirmat *Adamum in statu integro nullum selectum inter bonum & malum fecisse*; cum notio mali illum planè fugeret, & eo sensu, inquit, rectè de primis nostris parentibus, cum adhuc essent illibati & integri a peccato, prædicatur, eos bonum & malum non scivisse. Nam hujusmodi, de quo nunc sermo est, non cognoscitur, nisi per suum oppositum. Cum me fugit quid sit impudentia aut illud malum, quo æstimatio mea imminui posset, nullam possam habere ideam pudoris & decoris sub notione pudoris & decoris: & cum ignoro quid me lædere possit, non possum habere ideam boni, ut oppositum malo. Et quandoquidem hujusmodi rerum cognitione sub ideâ boni & mali *Adami mens non erat imbuta*, nullus etiam locus supererat legibus, quæ *Adami actiones regerent*, ut bonum operaretur, & malum fugeret. *Adamus non sub notione boni, æqui & honesti, & ut hæc*

malis, iniquo & inhonesto opposita sunt, cognoscebat & sectabatur virtutem: Sed sequens sanctæ suæ naturæ institutum, & eo pergens, quo eum sancta natura ducebat, virtutem colebat. Tam purus, tam integer & ab omnibus vitiis intactus atque illibatus primævi nostri parentis fuit animus.

§. 5. Ut autem hanc opinionem ab omnibus malis suspicionibus, multisque probris & fictis calumniis vindicem, animum induxi, hanc disputationem paulo altius repetere, ut omnibus constet illam, neque novitatem neque absurditatem, vel Pelagianismum redolere, licet hanc notam famæ meæ inurere nonnulli voluere, & quidem viri, qui & Academicis dissertationibus, & in publicis ad populum concionibus quotidie clamant proximum falsis calumniis non esse onerandum.

§. 6. Ut autem in discutiendâ hac quæstione rectam teneamus disputandi rationem, primum nominis, deinde rei ipsius idea delineanda est: Verissimum enim illud Epicteti, *ad rectè docen-*

docendum oportet primum scrutari nomina. Et idem ille. Initium doctrinae nominum consideratio. Hinc Ulpianus Jctus artem boni & æqui, rerum divinarum, humanarum, justiatque injusti scientiam optimâ daturus ratione, a nominis explicatione facit initium in *l. 1. ff. de 7. & 7.* Quod imprimis mihi de origine juris naturæ disputuro incumbere videtur: Vix enim procedit disputatio, nisi prius declarentur voces, quæ subjectam materiam, de quâ disputatio futura est, significant.

§. 7. Jus nonnulli deductum a jussu volunt, cum nihil aliud sit, quam quod vel Deus, vel civitas, vel populus, vel consuetudo jubeat: Ulpianus vero jus ex justitiæ fonte manasse scribit, idque non ineleganter. Justitia enim dicitur quasi justitium, id est juris vel naturalis, vel civilis interstitio, & cessatio, ut olim apud Romanos dies nefasti, quibus imperatum foro silentium, nullumque jus exercebatur. Ita in statu integro cum Astræa virgo in terris degebat, omne jus exulabat,

bat, nullus ejus usus aut exercitio hominibus cognita fuit, quippe sponte faciebant, quæ recta & justa in se erant: Optimè itaque jus à justitiâ derivari statuimus. Nam tum demum jus vigere cæpit, postquam justitia, id est, illa juris interstitio, & cessatio, quâ primævi mortales vitæ integri scele- risque puri fruebantur, corruptâ jam post lapsum naturâ, in juris exerciti- onem mutata est. Quam ob rem opti- mè Alciatus, justitiæ, justitii & justii ar- gutam analogiam pronunciavit.

§. 8. Jus vero varias admittit signi- ficationes: testes sunt Paulus & Mar- tianus in *l. 11. 12. ff. de J. & J.* Vel dicitur in genere pro omni eo, quod ju- stum est & æquum; vel significat qua- litatem moralem, justè aliquid haben- di; vel idem valet quod lex, quæ est regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum est. *Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 1. §. 3. & 4.*

§. 9. Nos de eâ vocis significatione disputamus, quæ tertio loco descripta est; ea quippe ad hominem tanquam
ani:

animarationale adeoque obligationis capax pertinet: Prima vero tam latè patet, ut brutis & omnibus individuis, secundum naturam ipsis innatam operantibus, applicari queat: Nam individuum, quod secundum naturæ suæ regulas existit & operatur, quia operatur secundum æternum decretum Dei, fontis omnis justitiæ & æquitatis, justè ac benè facere & operari dicitur. Quamobrem non puto eum a vero aberrare, qui per jus & institutum naturæ latè sumptum, intelligit regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum. Hinc Plato inquit, *Legem naturalem in seminibus positam esse; est enim vis quædam rerum seminibus innata, qua singulæ ad proprios actus propriosque fines propendunt & inclinant.* Verum quando illas individui operationes a jure naturali proficisci statuo, statim Dei æternum decretum semper justum & æquum considero, secundum

dum quod omnes illæ operationes & actiones determinantur & eatenus justitiæ & æquitati consentaneas dicimus. Quod enim universi machina ordine certâque rationabili dispositione constet; quod omnia se teneant, ratisque successionibus in nodos suos urgeantur; quod elementa suas sibi servant regiones; quod ferantur leviora sursum, graviora deorsum, motuque proprio sibi vindicent, quæ vis æterna rapuerat; quod dies & nox, hyems & æstas, quies & actio tempus omne partiantur; quod activis passiva, corruptionibus generationes respondant; quod oppositæ qualitates mediis concilientur; quod unicuique speciei sit indita vis ad sui conservationem, propagationem, in integrum restitutionem; quod congrua media ducant ad propositos fines, jus est a Deo naturæ datum, secundum quod individua operantia justè & benè operari dicuntur. *Ivon. de jur. natur. in præfat. Quam ob rem August. lib. 19. cap. 21. de civit. Dei concludit justitiam.*

tiam ad naturæ normam dirigi oportere, cum id ipsum justum sit, quod secundum naturam est, nempe unumquodque in suo genere. Hac de causâ contingit, ut etiam ex omnium animantium naturâ & actibus, illis videl. quæ naturæ eorum conveniunt, quadantenus confirmari soléat id quod justum est, & huic juri adscribatur, quod naturalis nomine vulgo juridicè intelligatur. De Roy. de eo quod justum est lib. I. tit. 2. Verum de hac juris significatione nulla nobis proposita est quæstio, ideoque de eâ satis dictum puto.

§. 10. De tertiâ juris significatione, quæ idem valet quod lex, omnis nostra disputatio futura est: Ea enim ad hominem tantum pertinere videtur, quippe, cum ea sit *regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum est*, nulli nisi homini applicari potest: quando injungitur obligatio ad id quod rectum est, requiritur subiectum ratione præditum, quod duce illâ ratione rectum ab iniquo, justum ab injusto, bonum a malo secernere

atque distinguere queat. Nam cum obligatus sim ad faciendum, quod justum & rectum est, simul sum obstrictus ad fugiendum, quod malum & iniquum est : frustra autem alicui subiecto talis injungeretur obligatio, nisi distinguere posset bonum a malo, justum ab injusto. Hæc igitur vocis significatio tantum solum hominem rationis capacem respicit : cui Deus rectam rationem largitus est, ut eâ duce, corruptâ aliquando pestifero serpentis inflatu ejus naturâ, cognosceret, quæ facienda ipsi incumberent, & naturæ suæ rationali essent consentanea : recta enim ratio jam commodè dici potest judicium de rebus, nûm justæ vel iniquæ sint, ut inquit Mæstert. *de justit. ll. Roman. lib. I. dub. 7.*

§. II. Naturæ vox etiam diversas & varias habet significationes ; interdum significat naturalem quarumcunque rerum inclinationem, ut appetitum generandi sui simile; vel se conservandi in eo statu, in quo singulæ res a Deo collocatæ sunt; aliquando natura, mater, parens.

rens communis, opifex rerum (quem admodum eam Cicero vocat) Deus ipse dicitur. Ita *Silius Italicus*

Heu primæ scelerum causæ, mortalibus ægris

Naturam nescire Deum.

Et sic passim gentiles naturam esse Deum ipsum censebant. *Quid aliud est natura, quam Deus? Nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura.* Senec. in lib. de Benefic. Nonnunquam pro ipsis naturæ legibus. *Ita natura plerumque ipsa armatur, adversus naturæ violatores.* Aliquando pro illâ animi facultate, quâ honestum a turpi discernere possumus. *Nec vero illa parva vis est naturæ rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, quæ modus.* Cic. i. offic. Hæc vero animi distinctio inter honestum & turpe, bonum & malum, nihil aliud, est quam jus inter omnes homines constitutum; quod omni generi humano commune est; quod apud omnes gentes peræquè custoditur.

tur §. 1. *Inst. de jur. nat. gent. & civil.*
 Hæc igitur juris significatio nostræ dis-
 putationi cæteris erit conjunctior.

§. 12. Expositis variis ac diversis
 vocis significationibus, non a rectâ
 disputandi ratione erit alienum, ut
 aliquam juris naturæ definitionem in
 medium proferamus, ut intelligatur,
 de quo disputetur.

§. 13. Quot vero sunt vocis signifi-
 cationes, tot ferè ejusdem definitio-
 nes mihi occurrunt, quarum præ cæ-
 teris ea mihi placet, quam tradidit
 Hugo Grotius, quæ hæc est: *Jus na-
 turale est dictatum rectæ rationis, in-
 dicans, actui alicui, ex ejus convenien-
 tiâ vel disconvenientiâ cum ipsâ naturâ
 rationali, inesse moralem turpitudi-
 nem, aut necessitatem moralem, ac con-
 sequenter ab auctore naturæ Deo, ta-
 lem actum vetari aut præcipi.*

§. 14. Quoniam hæc definitio dispu-
 tationis nostræ subjecta erit materia,
 in animo est eam paulo altius repete-
 re: & nullus dubito, quin facile ex
 eâ probaturus sim nullum jus in sta-
 tu.

tu integro, nullasque leges naturales obtinuisse; verum ex puro naturali impulsu nullisque vitiis & illibatâ inclinatione, vetustissimos mortalium, nullâ obligatione, (quæ ab ipsis tanquam obligatio fuit considerata) eas, quas in hoc nostro corrupto naturæ statu leges naturales vocamus, observasse & implevisse.

§. 15. Definitur jus naturale, *dicitur rectæ rationis*; id est jus naturale hominis, qui rationis particeps est, consequentia cernit, principia & causas rerum videt; similitudines comparat, justum ab injusto separat, & quid sibi faciendum, quid fugiendum incumbit, ejusdem rationis acumine dijudicat. Cum dico jus naturale hominum, non statuo aliud quoddam jus naturæ esse, ab hoc jure, quod homini proprium est, planè diversum & separatum, quod a brutis observari quotidie videmus. Unum enim Deum esse statuo, ejusdem juris fontem atque scaturiginem. Et eo sensu optimè jus naturale definitur a

Jcto.

Jcto Ulpiano; *Quod natura omnia animalia docuit*, id est, quod natura vel Deus, qui sano sensu ipsa natura est (cum naturam dico, Deum dico, ipse enim est naturæ opifex inquit Chryso- stomus) insculpsit cordibus omnium animalium summâ ratione subnixum, quæ in Deo existit : quare licet bruta ratione careant, nihil tamen impedi- mento est, quo minus jus naturale inter ea & homines commune sit. Quippe jus, quod natura animalia do- cuit, nullo modo discrepat ab eo, quod docuit homines, nisi duntaxat, quod qualitas utentium differat Mæ- stert. *de Justit. ll. Roman. lib. 1. dub. 7.* Optimè Grotius. *Profecto non id de ju- re naturali, quin vero ne quidem de ullo in rerum naturâ jure quærendum est, an inclinatione naturali, an ratione hu- manâ ejus operatio fiat, sed an in se bo- num & æquum spectandum est. Potest enim id, quod natura omnia animalia do- cuit, ita intelligi, ut operatio per ratio- nem hominum propria sit, operatio au- tem per inclinationem cæterorum ani- ma-*

malium naturæ adscribatur, nec tamen eo minus utraque ad eundem naturæ finem & eundem justitiæ naturalis scopum tendat. Hanc opinionem vero maximè consentaneam esse, vel ipse indies magis magisque rerum usus confirmat. Nonne enim quotidie in brutis easdem naturæ regulas & operationes experimur, quas homini tribuimus? imo non illas tantum, quæ magis ex instinctu, quam ratione proficisci videntur, ut procreationem, amorem, educationem sobolis, defensionem & conservationem sui, studium libertatis & similia; Verum illa etiam in brutis observamus juris specimina & signa, quæ ex ratione tantum ortum habere videntur: Ut fornicarum solertiam in instituendâ Oeconomîâ, apium in politiâ. Hinc Virgilius *Georg. lib. 4.*

His quidam signis, atque hæc exempla sequuti;

*Esse apibus partem divinæ mentis,
& haustus*

Æthereos, dixere.

§. 16. Fortasse quibusdam absurdum videbitur, quod animalibus ratione carentibus jus aliquod cum homine commune tribuamus: Quippe ubi nulla ratio est, ibi nullum jus esse potest, ratio enim est juris subiectum; in brutis animantibus nulla ratio est: ergo nec juris notitia. Verum in memoriam revocandum, quod paullo ante diximus, nimir: jus aliquando dici pro omni eo, quod justum est, quæ vocis significatio tam latè patet, ut ad omnes actiones hominum, & inclinationes ac propensiones brutorum, arborum, fruticum, corporum naturalium motus extendi posset. Hujus assertionis veritas sacræ scripturæ nititur auctoritate; inquit enim David in *Pf.* 148. *Laudate eum omnes exercitus ejus.* vers. 3. *Laudate eum Sol & Luna; laudate eum omnes stellæ &* vers. 5. *Stare fecit ea in perpetuum & in seculum, præceptum posuit, & non transgredientur &c.* v. 8. *Ignis, grando, nix, vapor, ventus, turbines facientes verbum ejus.*

ejus. Ad hæc præcepta naturalia adimplenda & exequenda, sufficit naturalis inclinatio & impetus, quem Deus omnibus creaturis implantavit, quanquam jus illud ratione non careat, cum ab æternâ lege proveniat, quæ est summa ratio in Deo existens.

§. 17. Verum cum jus sumitur *pro regulâ actuum moralium, obligans ad id quod rectum est*, ad hominem solum spectat, in quem potest cadere talis obligatio: utpote qui rationis lumine præditus, rectum ab iniquo, justum ab injusto distinguere valeat. Verum nonne omnes creaturæ obligantur ad id quod rectum est? quippe cum omnia individua obligentur operari secundum regulas suæ naturæ, id est, secundum æternum decretum Dei, semper justum & æquum: videtur unam eandemque obligationem hominibus & brutis aliisque creaturis impositam esse, ideoque nullam differentiam posse excogitari inter jus naturale hominum & cæterorum individuum. Sed resp. obligationem illam
lan

lam vel jus naturale nobis cum cæteris
 creaturis commune esse , nullam-
 que ejus esse differentiam , scil , quoad
 originem , quatenus ex uno eodemque
 fonte emanat & derivatur: Verum ma-
 gna ejus diversitas est, quantum ad istius
 juris legumque naturalium execu-
 tionem & adimpletionem. Bruta cæ-
 teraque individua legibus naturæ
 obtemperant & satisfaciunt , cum in-
 clinationem & naturæ suæ impetum
 sequuntur ; ista enim inclinatio ipsis
 est norma & regula agendorum , nul-
 lo præcedente rationis discursu : Ho-
 mo vero obligationi & legi naturali
 obtemperat , quando actiones ejus ra-
 tioni & lumini naturali respondent ,
 id est , cum examinat num inclinatio-
 nes ejus sint legibus naturæ congruæ ,
 easque exequatur, ubi judicaverit legi-
 bus naturæ esse consentaneas , sin mi-
 nus, supprimat. Itaque quæ bruta cæte-
 ræque creaturæ rationis incapaces, faci-
 unt naturali impetu incitata: ea homo
 rationis particeps facit, quod judicave-
 rit justa & legibus naturæ esse congrua
 ideo.

ideoque se esse obligatum ad ea exequenda. Nullus dubito quin ex hisce satis clarè perspiciatur, unam eandemque omnibus creaturis esse legem: verum non uno eodemque modo in omnibus elucere, neque una eademque juris naturæ videri specimina. Quemadmodum enim in quibusdam creaturis naturæ mirabilia magis cernere licet, quam in cæteris, quamvis ejusdem naturæ sint participes: Ita in quibusdam creaturis splendidiora videmus juris naturæ specimina, quam in aliis, licet ejusdem juris omnes participant.

§. 18. Sed ex eo non est metienda hominis præ cæteris creaturis felicitas: scil. quod, cum omnes creaturæ inclinationem, & impetum naturalem tanquam regulam & legem actionum suarum sequantur, solus homo omnes naturæ impetus ac propensiones, omniaque quæ vel dicere vel facere desiderat, prius ad rectam rationem tanquam ad Lydium lapidem explorare queat, imo debeat, ut sibi posset constare, num cum rectâ ratione & jure natu-

naturali consentiant, quæ exequi in
 animum induxit : & inde concludat
 quid facere, quid fugere & declinare
 debeat. Majorem enim perfectionem
 & felicitatem existimo, nunquam ab
 eo, quod rectum est, deviare posse
 (quam perfectionem solus Deus, ens
 perfectissimum, possidet) quam quoti-
 die anxium esse, num recta sint & ju-
 ri naturæ convenient, quæ noster de-
 siderat animus. Deploranda potius
 mihi videtur hæc justî & injusti notitia,
 quam pro tantâ felicitatè habenda:
 Quanto illa cum humani generis de-
 trimento ac damno acquisita est, lip-
 pis & tonsoribus notum est.

§. 19. Neminem hominem, cui
 mens sana est, ignorare puto, pri-
 mævos mortales vitæ integros scele-
 risque puros, nullâ sanctione legis,
 nullo pœnarum metu, nullâ obliga-
 tione coactos, sed sponte liberrimâ-
 que ex voluntate fecisse, quod rectum
 & bonum est, id est quod natura in-
 corrupta nullisque maculis adpersa
 aut contaminata ipsis dictabat. *Pri-*

mi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorruptam sequebantur, eandem habebant & ducem & legem, inquit Senec. epist. 91. Verum postquam semetipfos nimiâ ambitione intumescentes de hoc felicitatis gradu egerunt præcipites, statim innumera-bilia & horrenda vitia, injustæ nefandæque libidines eorum occuparunt animos, quæ neque coërceri vel cohiberi poterant nisi gravissimâ sancitâ poenâ, quæ valida esset ad supprimenda, & coërcenda tot tantaque vitia, quæ in pectore recondita circumferebat impurus homo: Impunitas enim maxima peccandi illecebra est. Tum experti sunt quanto præstantior sit ignorantia boni & mali, scientiâ & notitiâ ejus. Tranquillus antea fuerat animus, nullis pravæ cupiditatibus agitated, omnia objecta, quæ animæ repræsentabat natura, vel interna vel externa, integræ & incorruptæ eorum naturæ conveniebant: neque mirum, quippe & hominis natura & omnia, quæ Deus creaverat, tam or-

B

dinatè

dinatè, tam rectè disposita erant, ut nihil incongrui, nihil inordinati vel mali in universâ haberetur naturâ, ex quo homo malam, aut ut ita dicam, peccaminosam ideam formare posset. Quamobrem igitur nos miseri homunciones tot laudes de generis nostri præcæteris creaturis præstantiâ & felicitate prædicamus? Quare cæteris creaturis nobismet ipsos longè inferiores existimamus? An ideo, quod aliæ creaturæ tantum impetu regantur naturali, nos soli animâ rationali præditi justum ab injusto distinguere valeamus? Num igitur præstantia generis nostri in solâ boni & mali notiâ consistit? imo vero respondebitis, nam sine eâ anima non esset anima. Eheu quanto in errore versantur, qui in hanc opinionem adducti sunt. Quæso nonne Deus omnia individua in suo genere omnibus numeris perfecta creavit? horum vero perfectissimus, & præstantissimus est homo; utpote quem Deus animâ id est divinæ particulâ auræ ornaverit, ut posset percipere &

elligere omnium individuorum, &
mundi machinæ esse authorem
atorem; ejusque infinitam esse
ntiam, suam præ cæteris rebus
is præstantiam & dignitatem in
igne Dei sui, quâ donatus erat,
tam, supremi numinis summæ be-
volentia & propensæ erga se volun-
s argumentum. Quæ cogitatio-
is eum incitabant ad gloriam Dei
, quantum posset, extollendam, sum-
oque ac tenerrimo amore suum cre-
orem prosequendum: Nullius autem
obligationis vel legis intuitu, neque
uia Deus præceperat, amabis Deum
uum ex toto corde tuo; verum ex
mpetu & inclinatione ipsi innatâ tan-
tus erga creatorem suum proficiscebatur
amor; quem tot tantaque præ-
clara & admiranda Dei opera, ac innum-
merabilia ejus erga se benevolentia te-
stimoniam, magis magisque augebant &
accendebant. Nihil eum avocabat ob
officio, quod Deus & naturalis amor ab
eo postulabat; cum nullæ pravæ vel
immoderatæ libidines ejus possiderent
animum.

§. 20. Quod si igitur omnia in suo genere Deus creaverit perfecta & omnibus numeris absoluta, unde quæso mali & boni notitia? Neminem enim negaturum mihi persuadeo, ubi omnia perfecta in suo genere sunt, ibi malo ullum locum esse; quippe malum est absentia & privatio ejus, quod deberet alicui rei inesse, antequam perfecta & bona dici queat: Sin igitur in statu integro boni & mali notitia obtinuerit, defecit aliquid in naturâ, quod adesse debuisset, cum vero requirantur subjecta quædam quibus perfectio & bonitas inesse dicitur, quæ sunt vel rationalia vel irrationalia; quod si autem hæc bona & perfecta creaverit Deus, quod necessarium est, cum a perfectissimo ente nihil imperfectum produci queat, nullum igitur malum aut vitium in perfecto & integro statu alicui rei inesse potuit, & consequenter nullam notitiam boni & mali habere aut aliquam ejus ideam formare potuit homo. Quis tam stupidus

dus est, ut ex hisce perspicere nequiret,
 magnis erroribus esse involutos, qui
 præstantiam generis humani in mali
 & boni notitiâ consistere sibi per-
 suadent. Nisi inobediens fuisset A-
 damus, suâque inobedientiâ natu-
 ræ integritate semetipsum exuisset, ni-
 hil mali, nihil injusti innotuisset ei;
 verum in illâ innocentia & vitiorum
 ignorantia transegisset vitam, quâ ra-
 tione sibi summam tandem beatitu-
 dinem in arctissimâ Dei consuetu-
 dine positam sibi acquisivisset: ex
 inobedientiâ itaque provenit injusti-
 tia, ex injustitiâ boni & mali cogni-
 tio.

§. 21. Definitur jus naturale quod
 sit *dictatum rectæ rationis*. Dictatum
 autem rectæ rationis dicitur, quod
 convenit cum primis illis honesti prin-
 cipiis, ex incorruptâ naturâ nobis
 etiamnum reliquis. Non adeo post
 lapsum hominis natura corrupta est,
 quin nobis prima illa honesti princi-
 pia reliqua sint, utpote quæ tam fir-

miter animæ inhæreant, ut ab eâ divelli nullâ ratione queant ; ut erga Deum religio, erga parentes amor aliaque multa, quæ omnia recensere operæ pretium non est. Sed in eo a primis parentibus vitæ integris maximè sumus degeneres, quod nos legibus & pœnarum metu naturæ præceptis obtemperamus, quibus illi ex rectâ & benè dispositâ inclinatione libenter & cæco impetu obedientiam præstabant: Adeo enim post lapsum ad vitia prona fuit hominis natura, ut ad naturæ officia, quæ in statu integro spontè præstabat, corruptâ jam naturâ, metu pœnarum revocari debuerit.

§. 22. Dictatum nihil aliud est, quam animæ judicium de eo, quod facere vel declinare debemus. Quando inclinamus versus aliquod objectum vel cum animæ sese aliquod objectum repræsentat, quod in nobis excitare queat aliquem appetitum seu desiderium, statim illud examinabit, num cum primis illis nobis innatis principiis

piis conveniat necne, postquam illud examinaverit, & omnia, quæ circa id ipsum considerari debent, secum benè volutarit, judicium feret, deinde vel repudiabit, si malum sit & rectæ rationi repugnans, vel amplectetur, si bonum sit, & cum eâ consentiens: habet enim anima liberam voluntatem, id est, facultatem sese determinandi versus objecta, quæ sibi repræsentantur, ideoque potest vel bonum fugere & malum amplecti, vel malum declinare, & bonum sequi: Quoniam bona & mala in nostrâ Deus potestate posuit, electionis liberum donavit arbitrium, inquit alicubi Chrysostronus.

§. 23. Sed objicit nobis Osiander in suis annotationibus in Grotium *de J. B. & P. lib. 1. cap. 1.* Non rectè defini jus naturale per dictatum rectæ rationis, & quod talis definitio non rectè sese habeat. 1^o Quia dictatum est terminus ambiguus atque obscurus, qui ipse explicatione indiget; cum ea, quæ in definitione ponantur, debeant esse dilucidiora definito, & definitio

fit dilucida essentiæ repræsentatio. 2^o Quia non solum ambiguus est hic terminus, sed & inconueniens, compositus in ratione generis cum jure naturæ tanquam definito : nam dictamen siuè dictatum dicit Grotius actum aliquem & quidem transeuntem : At legem naturæ non dicit actum aliquem, aliquod ens transitorium, sed ens permanens, fixum & perpetuo menti humanæ connexum. 3^o Quia videtur esse aliquod posterius ipso jure naturæ : nam omne dictatum præsupponit in ratione principii & causæ aliquid dictans ; si itaque jus naturæ id est, quod dictat bonum esse amplectendum, malum esse fugiendum, honestè vivendum, suum cuique tribuendum, potius habebit rationem dictantis, quam dictati, & illud, quod pendet ex jure naturæ, actus, qui conformiter exercetur, eidem dictatum erit, non ipsum jus naturæ. Porro non dextrè (etiam inquit) dicitur jus naturæ dictatum rectæ rationis ; quomodo dicitur dictatum rectæ rationis, nisi

nisi eo modo , ut recta ratio sit principium dictans , jus naturæ autem ipsum dictatum. Atqui antecedenter ad jus naturæ non datur recta ratio , sed ratio recta est per ipsum jus naturæ , imo jus naturale nihil aliud est , quam rectitudo rationis.

§. 25. Primum Osiandri argumentum non magni ponderis mihi esse videtur , multum quidem dicit , nihil vero probat ; mihi saltem non constat , dictatum esse terminum ita ambiguum & obscurum , ut aliquâ explicatione indigeat. Neminem hominem , qui tantum a limine litteras humaniores salutaverit , ignorare persuasus sum , quin *dictare* sit aliquid docere in omni genere disciplinæ , quod alius excipiat , unde facile apparet dictatum esse institutionem atque doctrinam alicujus rei vel disciplinæ : quando itaque definimus jus naturale esse dictatum rectæ rationis , facile intelligimus dictatum esse institutionem & doctrinam ejus , quod faciendum vel declinandum no-

bis incumbit, a rectâ ratione profectam. Verum quidam fortasse responsurus est, me, dum coner terminum hunc ab omni ambiguitate & obscuritate vindicare, magis incertum atque obscurum reddere; quoniam idem illud, quod jam dixi institutïonem & doctrinam, suprâ iudicium animæ vocaverim, quæ diversæ & variæ significationes vocem maximè obscuram & ambiguam faciunt. Verum puto hanc institutionem & doctrinam esse ipsum animæ iudicium, informans nos de eo, quod facere vel vitare debemus, ut videre est in §. 2. hujus capituli.

§. 26. Secundum, quod nobis ab Osiandro objicitur argumentum, mihi persuadet, opponentem mentem Grotii non benè intellexisse; propterea quod putet Grotium discrimen aliquod statuere inter legem naturæ & dictatum rectæ rationis; quoniam hoc dicit actum aliquem transeuntem; illam vero ens permanens, fixum & perpetuum menti humanæ

con-

connexum. Quando Grotius definit legem naturæ esse dictatum rectæ rationis, ipsam legem vocat dictatum, id est iudicium, institutionem, doctrinam de eo, quod facere vel omittere debemus; illa enim institutio, illud animæ iudicium & dictatum nobis lex est & præceptum, postquam enim anima rem aliquam vel aliquod objectum, ad quod inclinamus, cum ipsâ naturâ rationali, id est, cum primis nobis innatis honesti principijs, consentire judicaverit, id sequi debemus & tanquam legem observare. Prima illa principia voco inclinationes & propensiones animæ innatas & insculptas, ut ergo Deum religionem: nulla quippe gens tam barbara, tamque denaturata est, quin sua habeat numina, & aliquam religionem colat: Ideo quod naturâ ad cultum aliquem ferantur. Imo nullum naturæ præstamus officium, quin ad ejus præstationem naturalis inclinatio & impetus nos prius impulerit. *Constanter illud ante omnia re-*

tinendum est, rationi nostræ hoc ingenitum, ob divini luminis communicationem, ut semper ad id, quod justum honestumque est inclinet, & propendat: Si vero sint igniculi à naturâ hominibus dati, hæc sunt virtutum semina & elementa. Hæc elementa, hos igniculos, sive hanc ad bonum propensionem (nam his omnibus nominibus eadem res significatur) omnium planè hominum mentibus inesse, idque præsertim initio, antequam ullus vel virtutum, vel vitiorum habitus contrahatur, dubitari non oportet. Bolognet. de leg. & æquit. cap. 4. Quod & Tullius confirmat, cum inquit: *Naturæ jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, gratiam, observantiam & veritatem.* Quamobrem voluntas definitur impetus vel motus naturalis, quæ nos impellit ad id quod rectum & bonum est, in genere scilicet.

§. 27. Hæc vero principia non vocamus leges naturales, nisi eo sensu, quo jus in bruta cadere diximus: quippe

pe.

pe nisi recta ratio dictaret nobis, secundum ea facta dirigenda esse, vim legis non haberet; illa autem obligatio nobis aliunde innotescere non potest, nisi per dictamen rectæ rationis; imo hoc dictatum ipsa est obligatio. Nam cum ratio nobis dictat quid sit bonum, statim nos obligat ad illud sequi: Quæ obligatio legis essentia est.

§. 28. Quod ad tertium argumentum attinet, dixi jam dictatum rectæ rationis non esse separatum & diversum quid a jure naturali, ideoque eo jure non posterius. Concedo libenter omne dictamen præsupponere causam & principium aliquod dictans: Sed quam crassus error, sibi persuadere, jus naturæ illud esse, quod dictat bonum esse amplectendum, malum fugiendum, honestè vivendum, suum cuique tribuendum esse: Quod tantum animæ rationalis officium est, ejus est judicare, quid bonum, quid malum sit. Nisi velimus jus naturæ, quod dictamen vocamus,

cum ratione dictante confundere, quod idem esset ac si causam & causatum, res creatas & creatorem unum idemque esse diceremus; quo nihil absurdius fingi aut excogitari potest. Absurdissimum est quartum argumentum, quo affirmare conatur, rectam rationem esse ipsum jus naturæ, ideoque non dextrè dici jus naturale dictatum rectæ rationis, quia antecedenter jus naturæ non datur recta ratio. Quam opinionem admittere non possumus, nisi simul amplecteremur illam absurditatem, de quâ statim sermo fuit. Quod dicit non posse rectam rationem priorem esse jure & legibus naturæ, falsum est & nullâ ratione nititur: Nam per rectitudinem, quam rationi tribuimus, intelligimus optimam illam animæ dispositionem & inclinationem versus ea, quæ nos in statu corrupto bona & honesta vocamus: Talis autem dispositio non jus neque lex naturæ dicenda, sed juri & legibus congrua & conveniens inclinatio. Et jam in principio hujus nostræ

stræ dissertationis probavimus jus naturæ separatum esse a ratione rectâ, id est benè dispositâ, mali & iniqui differentiam ignorante; idque eo statuimus, quod justum semper aliquid præsupponat injusti, nam justum per oppositum injusti novimus, bonum per oppositum mali; sin autem in statu integro anima non potuerit talem distinctionem facere, quoniam omnia bona erant, ergo nullum jus obtinuit aut viguit, attamen homo rectitudine rationis non caruit, id est habuit animam rationalem, quæ ex bonâ & ordinatâ dispositione & inclinatione semper cupiebat, quæ creatori placebant, ideoque bona & recta erant, scil. in se, quatenus consentanea erant rectæ imagini, quâ Deus ex incredibili suâ benevolentia hominem ornaverat.

§. 29. Ex hisce puto satis clarè perspicui posse absurditatem contrariæ opinionis; progredimur itaque ad alia definitionis verba, quæ hæc sunt. *Indicans actui ex ejus convenien-*

nientiã vel disconvenientiã cum ipsã natura rationali; inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem. Diximus legem naturalem esse regulam & normam agendorum, quoniam nos informat de eo, quod facere vel declinare debemus: hanc legem esse dictatum rectæ rationis probavimus, & etiam probant hæc verba: Quodcunque enim nobis indicat turpitudinem aut bonitatem seu necessitatem moralem, illud ut præceptum a nobis observari debet; atque dictatum rectæ rationis nobis indicat, quid moraliter bonum vel malum est: ergo affirmamus dictatum hoc esse legem & præceptum naturæ. Major negari nequit, quia omni morali bonitati vel turpitudini inest necessitas & obligatio, quæ jubet vel vetat; Talis autem obligatio reverã lex est, legis enim virtus est imperare, vetare, ut inquit Ictus, *in l. 7. ff. de U.* Minor etiam vero conveniens est; probavimus enim dictatum esse animæ rationalis judicium & institutionem de eo,

quod.

quod facere, vel omittere debemus, quale dictatum seu animæ judicium legem & præceptum vocamus: quippe, ut inquit, Chrysippus Stoicæ disciplinæ Princeps, *lex est præses bonis atque malis, Princeps atque dux: & secundum hoc regula est justorum & injustorum, præceptrix faciendorum & prohibitrice non faciendorum.*

§. 30. Sed ut evidentius nobis posset constare dictatum nihil aliud esse, quam animæ rationalis judicium, illud autem judicium jus naturale esse; Concipiamus hominem animâ rationali præditum non adeo post lapsum orbatâ omni integritate, omnibusque virtutibus, quin conservarit illas inclinationes innatas versus id, quod bonum est, quas inclinationes superius prima honesti principia diximus. Secundo huic animæ subesse duas facultates; intellectum nimir. & voluntatem. Sit autem officium intellectus inter objecta discernere, pro ut unumquodque probandum aut im-

pro-

probandum visum fuerit: voluntatis eligere & sequi, quod bonum intellectus judicaverit: aspernari ac fugere, quod ille improbarit. Simulac autem inclinamus versus aliquod objectum E. G. cultum Dei, intellectus statim illud animæ objectum examinat & perpendit, circumstantias considerat, unum cum altero contendit, deinde judicat & dicitat vobis bonum & honestum, Deum colere, imo moraliter esse bonum: scilicet quemadmodum necessario debeat esse aliquod numen, hujus universi auctor & creator, (nulla enim res sibi non fuit causa, ut esset, nam quod non est agere non potest; nec ipsa res esse potuit, antequam esset, unde sequitur quod aliunde habuerit originem) ita necessario illud numen debet a mortalibus coli & venerari: contra moraliter turpe & malum esse, ejus cultum negligere atque omittere; quippe cujus observatio moraliter est bona, ejus omisio moraliter mala est. Ex hisce itaque duobus contrariis

riis & oppositis intellectus format conclusionem seu dictatum, legem naturalem esse Deum esse colendum, id est naturalem inclinationem id nobis non suadere, sed & convincere, hanc esse æternam veritatem & legem.

§. 31. Talis comparatio & contentio objectorum necessario ab homine post lapsum institui & adhiberi debebat; quippe cum jam Adamus non solum cum suo, sed & totius humani generis damno expertus esset, se posse decipi & a rectâ aberrare viâ, imo cum indies magis in se ipso sentiret dominari illicitas nefariasque libidines ac cupiditates, quibus inservire potius, quam obtemperare rectæ rationi volebat, sibi ipsi diffusus est, ideoque omnes suas inclinationes omnesque vehementes naturæ impetus, antequam exequeretur, ad rectam rationem, adhibito mentis discursu & rerum institutâ comparatione, tanquam ad Lydium lapidem explorare maluit: quanquam tamen non vitiorum stimulis agitur, eo

eo non obstante, a justo & bono avocatur, incapax pravis suis cupiditatus resistendi, Deo non adjuvante.

§. 32. In statu vero integro talem comparationem instituere non necesse erat, sed tantum inclinationem & naturalem impetum sequebatur, qui eum semper ad id, quod bonum & justum vocamus, impellebat; nam in mente & voluntate erat summa rectitudo, & omnes organicæ partes ritè in obsequium compositæ erant. Calvin. *inst. lib. 1. cap. 15.* ita ut, quam diu ad rectitudinem formatæ erant singulæ partes, nil nisi bonum volebat & justum; nullâ lege, nullo pœnarum metu opus erat, quoniam nullis vitiis, a quibus metu pœnarum avocari & deterreri debuisset, erat contaminatus: itaque ad justitiam colendam ferebatur ex amore & inclinatione naturali, quæ nullâ lege indiget juxta illud. *Oderunt peccare boni virtutis amore. Mali autem formidine pœne.* Ad suppressendam & coërcendam

cendam hominum malitiam leges fuere latae, ubi vero nulla scelera aut vitia vel flagitia perpetrantur, ibi nullâ lege, nullo præcepto aut pœnarum metu opus est: Lex enim est delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur; coërcitio. *l. i. ff. de L. L.* ideo itaque leges promulgatae, ut sua sceleribus supplicia, virtutibus præmia constituerentur.

§. 33. Quoniam vero Adamus in statu integro nullis vitiis ac sceleribus fuit commaculatus aut pravis illicitisque libidinibus agitato, nullas etiam leges habuit ad coërcendam ejus malitiam: Imo nonne Deum peccati authorem diceremus, statuentes Adamum recenter è manibus purissimis sui creatoris profectum, legibus vincitum & alligatum in mundum provenisse: Quippe ubi leges & jura vigent, ibi peccata & vitia obtinent, nam leges eum in finem latas diximus, ut metu pœnarum à vitiis avocarentur mortales; sunt relata lex & peccatum, legis virtutes sunt imperare,

perare, vetare, punire; quid veta-
nisi vitia, quid punit nisi peccata &
flagitia, quæ ab hominibus patrantur.
hæc sunt leges objecta, circa quæ ven-
fatur, ubi hæc deficiunt, deficit lex,
defecerunt autem in statu integro,
quod satis probatum puto, ergo &
lex defecit. Itaque non possumus
statuere Adamum leges naturales ha-
buisse, quin etiam deberemus affirma-
re eum innata vitia habuisse, quod
absurdissimum & ab omni sanâ ratio-
ne est alienissimum. Præsertim si
credamus, (neque sine summo scele-
re aliter debemus) Deum tam san-
ctum, tam purum esse ab omni labe, ut
nihil ab eo dimanare queat, quod im-
purum, vel ullâ maculâ adpersum esset
(nulla enim communio lucis cum tene-
bris) qui statuere possumus Deum ho-
minem vitæ integrum scelerisque pu-
rum legibus subjecisse, quæ eum, ut
jam diximus, in finem feruntur, ne
vitia, quæ in pectore recondita cir-
cumfert impurus homo, in lucem
prorumperent. Gentiles hanc veri-
tatem

tatem è lumine naturali eruere poterunt, quod satis probat seculum illud aureum, de quo canunt sæpissimè Poëtæ & cujus etiam alii scriptores mentionem faciunt, quo significant statum integrum vetustissimorum mortalium, a quo omnia vitia & peccata exulabant. *Primos illos Disque proximos mortales optimæ fuisse indolis, vitamque vixisse optimam, unde & auream hanc dici ætatem.* vide Hug. Grot. in annot. ad lib. 1. pag. 18. de verit. relig. Christian. Hinc Virgilius lib. 7. *Æneid.*

*Neve ignorete Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte suâ veterisque Dei se morè tenentem.*

Et Ovid. lib. 1. *Metamorph.*

*Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte suâ, sine lege, fidem rectumque colebant.
Pena metusque aberant, nec verborum minantia fixo*

Ære

*Ære legebantur ; nec supplex turba
timebat*

*Judicis ora sui : sed erant sine vin-
dice tuti.*

*Vetustissimi mortalium, inquit Tacit.
lib. i. Annal. nullâ adhuc malâ libidi-
ne, sine probro, scelere, eoque sine
pænâ & coërcitionibus agebant, neque
præmiis opus erat, cum honesta suoapte
ingenio peterentur, & ubi nihil contra
morem cuperent, nihil per metum ve-
tabantur. Et apud Macrobius est.
Primum inter homines mali nescia,
& adhuc astutiæ inexperta simplici-
tas.*

§. 34. Vetustissimos mortalium in
hac simplicitate & vitiorum ignoran-
tiâ vitam aliquando transegisse Ægy-
ptii, Græci, Romani aliæque gen-
tes moratiores cædiderunt, quorum
testimonia magnum adferunt nostræ
disputationi pondus : Quippe, si
quid juris naturalis esse probare ve-
limus, imprimis gentium saltem mo-
ratorum testimonia a nobis explorari
& examinari debent. *Sufficit ad mo-
rale*

*rale præceptum, ut ratio ex congenitis
 principiis justitiæ & honestatis judicet
 actum aliquem cum sanctâ & immuta-
 bili voluntate & naturâ Dei convenire,
 & ut in eo consentiant moratiores omnes,*
 inquit aliquis a Clarissimo & doctri-
 nâ florentissimo Burman: citatus *in suâ
 dissert. de moral. Sabbath.* Ita jus gen-
 tium dicimus, quod apud omnes gen-
 tes saltem moratiores obtinet, cujus
 juris veritas fundata est in usu & ob-
 servatione gentium, imo id ipsum
 jus naturale vocatur. Et ita Grotius
*de J. B. & P. lib. 1. Esse aliquid juris
 naturalis probari solet, tum ab eo quod
 prius est, tum ab eo quod posterius. A
 priori, si ostendatur rei alicujus con-
 venientia aut disconvenientia necessa-
 ria cum naturâ rationali ac sociali. A
 posteriori vero, si non certissimâ fide,
 certè probabiliter admodum juris natu-
 ralis colligitur esse id, quod apud omnes
 gentes, aut moratiores omnes tale esse
 creditur. Hinc Justinian. in Inst. tit. 2.
 de jur. nat. gent. & civil. §. 1. Quod
 vero naturalis ratio inter omnes homi-
 nes*

nes constituit, id apud omnes per æquè
custoditur: vocaturque jus gentium.
Quasi quo jure omnes gentes utuntur. Et
in §. 2. jus autem gentium omni humano
generi commune est. Itaque ad no-
stram opinionem adstruendam mul-
tum ponderis adferunt gentium sal-
tem moratorum testimonia. Poten-
tissima probatio est, si in id, quod dici-
mus, omnes consentiant, ut inquit Ari-
stoteles. Argumentum veritatis est
aliquid omnibus videri. Seneca. Pro-
sertis habemus ea, in quæ communi opi-
nionem consensum est. Quintilianus.

§. 35. Hisce ita pro virili explica-
tis, progrediemur ad ultima definitio-
nis verba, quæ sese ita habent: *Ac con-
sequenter ab auctore naturæ talem a-
ctum vetari aut præcipi.* Nulla gens
adeo extra leges moresque proje-
cta est, ut non aliquos Deos cre-
dat, principium, a quo cælum & na-
tura dependet; probat id ipsum per-
fectissima ideoque summâ admiratione
digna hujus universi fabrica, summo
consilio & sapientiâ constructa; ita
ur,

ut, quoties hanc mundi machinam contemplemur, in summam admirationem rapiamur, & statim convicti, nihil eorum, quæ videmus, temerè & fortuito nasci, sed ab arte aliquâ effici, clarâ testemur voce. *Siquis admirabilem istum siderum innumerabilem ordinem adspexerit, utcunque quæ sit istius ratio nesciat, non possit quin miretur immensam istam cum sapientiam, tum potentiam, quæ tot, tantosque orbes eo ordine instruxit, ut ab omni ataxiâ se omnes tamdiu tueantur. Sin quis naturalia omnia contempletur, quomodo singula in suos fines naturæ suæ maximè consentaneos ferantur, statim consilio aliquo vel suo vel alieno regi fatebitur, cum in finem collimare aut eundem assequi nequeant, nisi causa sit, quæ tum illius utilitatem noverit, tum media ei assequendo idonea elegerit, & postremo de mediis, quæ eligit, usu judicaverit. Nolle vero, eligere & judicare, solius sunt consilio & ratione utentis.* Parkerus. *de Deo & provid. Div. disp. 2. sect. 3.* Si itaque

que naturalia in fines suos ferantur, vel id ipsum fit suo vel alieno consilio; suo autem consilio id fieri nequit, cum intellectu & ratione ac judicio destituta sint, ergo omnia rectoris cujusdam consilio ac ratione regi & gubernari debent: atque is est, quem summum numen, hujus universi seu omnium rerum auctorem & causam vel creatorem dicimus.

§. 36. Ex eo autem, quod sit omnium rerum causa seu principium, & quoad naturam & quoad existentiam, sequitur illum esse ens simplicissimum & perfectissimum; Deus autem aliquid compositum esse nequit: Quippe cum per se clarum sit & evidens partes, ex quibus compositio conflatur, priores esse naturâ ad minimum re compositâ, ita necessario illæ substantiæ, ex quarum coalitione & unione Deus componitur, ipso Deo priores erunt naturâ & una quæ per se poterit concipi, quamvis Deo non tribuatur. Deinde, cum illa inter se necessario realiter distinguantur, necessaria etiam una-

unaquæque per se absque ope aliarum poterit existere ; ac sic tot possent dari Dii , quot sunt substantiæ , ex quibus Deum componi supponeretur : Nam cum unaquæque a se possit existere , etiam debet esse causa suæ existentiæ. Adeoque sibi potest dare omnes perfectiones , quæ Deo insunt. Hoc autem nihil absurdius dici aut excogitari potest. Perfectissimum etiam Deum esse dicimus ; quippe si aliquâ imperfectione laboraret , non posset dici prima causa , a quâ omnes res dependent & productæ sunt. Prima enim causa nullâ perfectione orbari potest ; non aliunde ; quia quod æternum est , ab aliis rebus non pendet , neque quicquam ab illarum actione patitur : neque vero a se , quia natura omnis suam perfectionem appetit. Concludimus itaque illud ; quod summum numen vocamus , & simplicissimum & perfectissimum esse , & ab eo omnes perfectiones , quibus cæteræ res ornatæ sunt tanquam ex unico fonte dimanare &

summi iudicium habere : Et quia perfectum, ab omni labe & vitio purum atque illibatum, nullo defectu nullisque debilitatibus aut ullis affectibus, quibus mortale agitur genus, laborare oportet : vitia enim & affectus cæteræque humani generis debilitates sunt imperfectiones, a quibus immune debet esse id, quod summè perfectum dicimus. Ex hac summâ perfectione proficiscitur summa sanctitas ; quæ in eo consistit, ut necessario amet veritatem & virtutem ; abhorreat autem a vitiis. Ex hac infinitâ sanctitate profluit summa iustitia, inde pœnarum & præmiorum distributio. Dei sanctitas indicat legem & normam, ad quam creaturæ rationales vitam suam componere debent : Iustitia autem corrigit actus hominum eam lædentes & quidem necessario.

S. 37 Hac itaque Dei sanctitate rectè contineri dicitur jus morale, sive divinum necessarium quatenus scil : jus refertur ad Deum, tanquam origi-

originem & principium omnium virtutum ac legum moralium: nam quia isti actus sunt debiti & illiciti, per se fluentes ex sanctitate divinâ, ideoque moraliter mali, vel boni, ideo etiam nēcessario vetiti vel præcepti dicuntur: sanctitas enim in Deo nihil aliud est quam recta ratio, imperans bona, prohibens contraria. Ex hac autem necessariâ prohibitione profluit necessitas pœnæ; nulla enim iussio, nulla prohibitio necessaria sine necessitate puniendi: Imo si pœna Dei respectu non esset necessaria, non posset Deus dici justus, si non justus, ergo non sanctus, si non sanctus, ergo non perfectus, atque adeo totam divinam essentiam negaremus, quod absurdissimum & horrendum esset scelus. Porro si Deo liberum sit actionem in se malam non punire, erit etiam Deo liberum eam non prohibere, atqui a Dei sanctitate nascitur necessaria prohibitio, ergo ex eâdem etiam proficitur necessitas puniendi: Nam quod prohibetur, malum est atque ideo

malum, quia sanctitatem Dei lædit, malum autem non punire tollit justitiam divinam, si autem tollitur justitia, etiam tollitur ipsa divinitas: Quippe justitia, sanctitas aliaque Dei attributa adeo necessario in divinâ essentiâ concurrere necesse est, ut unâ sublatâ tota tollatur essentia. Quæ cum ita sint, evincimus necessario esse aliquod numen, a quo omnia visibilia & invisibilia producta fuere, illud numen necessario esse perfectum, quia autem perfectum, ideo infinite sanctum, quia sanctum, ideo justum, quia justum, ideo ergo bonos amore & benevolentia, erga malos irâ & odio affici. Ex amore præmia, ex irâ pœnæ proficiscuntur. Optimè itaque inquit Grotius, dictatum seu rectam rationem nobis ex convenientiâ vel inconvenientiâ cum naturâ rationali, id est cum primis honesti principiis nobis innatis, ex illâ divinâ sanctitate & imagine, ad quam creati sumus, fluentibus, nobis indicare quid bonum, quid justum sit, scilicet ex illâ

illâ oppositione justî & injusti & consequenter id est necessario, ex illâ concatenatione attributorum Dei concludere illud vetitum, hoc præceptum esse.

§. 38. Hactenus ad confirmandam opinionem usi sumus argumentis, quæ recta ratio & naturale lumen dictare videtur. Verum cum nonnullis nostra disputatio ad theologiam etiam quodammodo pertinere videatur, in animum induxi pro virili rationis dictamina ad sacram scripturam, quâ solida & inconcussa veritas continetur, tanquam ad Lydium lapidem explorare; semper enim rationis dictamina, quantum ad Theologiam pertinent, cum sacris consentire litteris debent, vel potius ex animo delenda tanquam æternæ veritati contraria.

§. 39. Confirmant imprimis meam sententiam ipsa Dei verba, quæ refert Moses 1. cap. Genes. ubi inquit Jehova, *faciamus hominem in imagine nostra, & secundum similitudinem*

nostram. Id est imaginem, similitudinem habentem. Quæ imago non consistebat in corporis figurâ, vel habitu externo, neque in animæ facultatibus, vel in imperio, quod homo habuit in animantes: Verum in rectitudine intellectus & voluntatis. Illa autem rectitudo non consistebat in cognitione boni aut mali, vel in discrimine justii aut injusti, quam habuisset Adam: Verum in perfectâ illâ animi dispositione, quâ semper volebat, quæ Deo creatori suo placebant, & naturæ suæ integritati respondebant. Erat illi magis vitiorum ignoratio, quam cognitio virtutis, ut de Schytis loquitur Justin. *lib. 2.* Quamobrem omnes Theologi illum primævum & integrum hominis statum vocant statum innocentiae, a quo exulabant omnia vitia & pravæ cupidines. Huc respiciens Salomon inquit, *Deus creavit hominem rectum id est simplicem, sed sibi quæsiverunt cogitationes multas. Primum inter homines mali nescia, & adhuc*

huc astutitiæ inexperta simplicitas, inquit Macrobius. Quæ omnia confirmant, primos mortales vitæ integros scelerisque puros, & ut Augustinus sæpe inculcat, sanos, rectos, salvos sine vitio, bonum fecisse, virtutes exercuisse, justitiam coluisse, naturali inclinatione & impetu impulsos, & in perturbato in Deum amore instigatos, quem ut creatorem & auctorem omnium visibilium & invisibilium reverebantur, & diligebant tanquam summum bonum, id est tanquam causam & fontem istius tranquillitatis & voluptatis, quâ suavis illa cum Deo harmonia & communio animum afficiebat.

§. 40. Rejicimus vero absurdam sententiam Pelagii, statuentis hominem in statu innocentiae ad eum puræ fuisse naturæ, ut nec sapiens nec insipiens, nec bonus nec malus fuerit, quanquam tamen eum concupiscentiâ, omnium vitiorum matre ac genitrice, naturaliter laborasse asseverat. Quâ opione nihil absurdius aut æternæ veritati magis contrarium dici

potest: Creavit enim Deus hominem rectum, purum, sine vitio; imo sine illâ rectitudine Deus hominem creare, nec hic sine eâ existere poterat; cum alioquin sine suo, ad quem conditus erat, videl: Deo suo fruendum inque eo gaudendum, excidisset: nec opus ad Dei gloriam & tali conditore dignum fuisset, imo vitium esset in Deo, æquè ac fabro vitium foret, si ferrum cuderet cum rubigine. Vid. clariss: Burman. *in sua Synop. Theol. Tom. lib. 2. cap. 1.* Mentem habebat summâ sapientiâ ornatam, quæ consistebat in perfectâ creatoris sui cognitione, quæ eo usque extenditur, ut in ipsum trinitatis pertrasse mysterium negari nequeat; imo & magnum sapientiæ argumentum est, quod omnibus animalibus coram eo productis imposuerit nomina, eorum naturæ maximè convenientia. Cadit etiam status puræ naturæ, commentum Pelagii, quo nec malum nec bonum hominem ponebat; impossibile enim est hominem
ullo.

ullo in statu adeo puræ fuisse naturæ ,
 ut nec bonus nec malus esset , quip-
 pe cum anima sit prædita duabus illis
 facultatibus, intellectu nimir: & volun-
 tate , impossibile est illam voluntatem
 esse sine appetitu , fertur enim semper
 sive in bonum sive in malum, divini
 enim ejus naturæ ingénitus vigor eam
 non permittit penitus torpere nihil
 agendo , ita ut extra vitia virtutesque
 esse ex æquo , in utrorumque veluti
 confinio degere , creaturæ rationali
 prorsus impossibile sit : appetitum
 vero mali habere non poterat , quo-
 niam purissimi, ut ita dicam, & sanctis-
 simi creatoris ex manibus recens
 exivisset , itaque necessario appetitum
 boni in se scilicet , quatenus Deum &
 ejus gloriam respiciebat, habere debuit,
 & consequenter primam hominis na-
 turam bonam & sanctam fuisse sta-
 tuere cogimur.

§. 41. Quando itaque statuo ho-
 minem in statu integro rectum , in-
 nocentem , ac simplicem fuisse , non
 Pelagii absurdissimæ subscribo senten-
 tiæ ,

tiæ, licet multi calumniatores hanc de me habuere opinionem, verum nihil aliud illis verbis significare in animo est, quam primum hominem in felicissimo primævo statu nullam mali & boni, tanquam inter sese opposita & sibi invicem contraria ac legis naturalis objecta, habuisse cognitionem: nihilominus tamen fecit ea, quæ bona erant scil: in se & naturæ suæ integræ consentanea, ideoque Deo creatori suo grata; nam eo tendebat appetitus & inclinatio naturalis ex rectâ & bene dispositâ voluntate proficiscens, & ut uno verbo dicam scil: malitiâ eum infantem, prudentiâ vero adultum fuisse persuasus sum, ut inquit Paul. Apostol. *in epist. ad Corinth. cap. 14. comm. 20.* Et talibus adixit Deus regnum cæli, summæ beatitudinis usuram, quæ finis erat status Adami puerilis scil: quoad ignorantem mali & boni, in cæteris virilis & adultus.

§. 42. Habes hic lector benevolè, in brevi quasi tabellâ depictam primi ho-

hominis in statu integro degentis beatissimam & felicissimam conditionem; ita ut merito exclamare nobis liceat, O statum ter quaterque beatum! a quo omnia exulabant vitia & nefanda facinora, pœna metusque aberant, nec verba minantia fixo ære legebantur, cum sponte & ex innatâ inclinatione justitiam coleret, virtutes exerceret mortale genus, summâ tranquillitate frueretur conscientia, nullius sceleris aut vitii sibi conscia; in summis protoplastus habebat deliciis dulcissimam & beatissimam Dei creatoris sui communionem & consuetudinem, quem non timebat ut vindictorem peccatorum, sed venerabatur, ut omnium visibilium & invisibilium auctorem & creatorem, diligebat tanquam benefactorem & fontem tot beneficiorum, quæ ex illo in se derivata erant, & adhuc singulis momentis redundabant. Utinam vetustissimus mortalium hoc felicissimo primævo statu non excidisset, tot laboribus, tot miseriis quotidie non fatiga-

rigoremur, neque opus fuisset
 tam strictis legibus tamque acerbis
 pœnis, quibus coërceri & puniri de-
 bent pravæ & illicitæ hominum cupidi-
 rates, verum ejusdem felicitatis,
 ejusdem libertatis, ejusdem denique
 conscientiæ tranquillitatis fuisset
 heredes.

F I N I S.





DISPUTATIO

DE

ORIGINE

SOCIETATIS CIVILIS.

§. I.



I quis in causas, quæ homines in societatem civilem coalescere impulerunt, inquirere velit, imprimis observare debet, ne necessitatem & indigentiam humanam, id est secundarium hominis statum, cum innatâ inclinatione vel primævo hominis statu confundat: per primævum hominis statum intelligo statum integrum, incorruptum, in quo homo, si non lapsus fuisset, summâ libertate gaudens, nullius nisi creatoris sui imperio subjectus, secundum inclinationes naturales omnes suas actiones dirigens

rigens, tranquillè & securè suo arbitrio vitam egisset. Per secundarium intelligo corruptum scil. præsentem hominis statum, qui in se considerata, jure status belli dicitur, in quo unusquisque extra societatem civilem viuens, se munire debet adversus omnes pestiferas machinationes & insidias, quas aliis sui simillimi quotidie ipsi struunt & in ejus perniciem excogitant. In illo homo homini Deus: in hoc autem homo homini lupus est.

§.2. Hujus differentiarum rationem nullam habuisse videntur, qui statuunt, *Homines naturâ scil: ex innatâ ipsis inclinatione & voluntate ita ad societatem civilem rapi, ut citra eam nec velit nec possit vivere.* Quæ assertio nullis solidis rationibus mihi niti videtur, quam obrem animum induxi eam paullo accuratius examinare, & quædam argumenta, quibus illam opinionem adstruere conantur, pro virili diluere & enodare, ut tandem omnibus constare posset, nihil societate civili ab hominis

nis

nis inclinatione & naturali appetitu seu desiderio esse magis alienum.

§. 3. Sed priusquam ipsam quæstionem examinare aggrediar, velim ut lectori notum sit, me per vocem *hominis* in hac dissertatione intelligere solummodo marem, non fœminam; cum fœmina potius ad parendum quam imperandum nata videatur, ideoque tanquam pars societatem civilem constituens considerari nequeat: constituitur enim societas ex illis, qui sibi invicem æquales sunt, scil. qui æquali jure gaudent in statu naturali viventes, qui sui juris sunt, ita ut alter alterius imperio subjectus non sit, quamobrem socii æquales dicuntur; Hinc Terentius in *Heaut.* de socio sermonem habente, inquit, *Æquali suo video inservire, & socium esse in negotio.*

§. 4. Fœminam autem naturam seu Deum maris imperio subjecisse, ideoque tamquam partem societatem civilem constituentem considerari non posse & recta ratio & sacrae litteræ prohibent

hibent & testantur. Creavit Deus primum hominem ex pulvere terræ scilicet virum seu marem, id est Adamum; Deinde Deus injecit soporem altum in Adamum & desumpsit unam de costis ejus, ex quâ extruxit Evam. Primum finxit Adamum, ut jure sibi imperium vindicare posset, docet enim recta ratio, ut qui prior tempore est etiam sit jure potior. Deinde ex costâ extruxit mulierem, ut inde concludere posset, se nihil habere ex se, sed ab alio, & materiam, ex quâ condita erat, ad Adamum pertinere, & consequenter se ab Adamo dependere; nihil quippe magis rationi convenit, quam meum id esse, quod ex re meâ factum est, jure itaque imperium ipsi in mulierem concessum: oportet enim, ut quisque sit moderator & arbiter rerum suarum: nulla igitur æqualitas inter marem & fœminam intercedit, & consequenter in constituendâ societate civili nulla ejus ratio haberi potest, ideoque hominis appellatione respectu hujus societatis non

non venit. Quod jus in nos tanquam ejus posteros & ejusdem juris heredes transmisit. Hisce ita præmissis, non erit a rectâ disputandi ratione alienum, ut, priusquam ipsam quæstionem enodare aggrediamur, definitionem societatis civilis demus, & deinde examinemus, num hominis natura ita prona sit ad talem societatem colendam, ut citra eam nec velit nec possit vivere.

§. 5. Societas civilis, omissis aliis definitionibus, ita commodè definiri vel potius describi mihi posse videtur; Quod sit *multitudo hominum naturâ equalium, qui, ut innumerabilia evitarent pericula, quibus in statu naturali viventes obnoxii erant, certis quibusdam legibus ac pactis inter se iunitis, quibus naturalem libertatem quasi suis limitibus includerent, uni eisdemque imperio sese subjecerunt, ut ita coadunatis viribus omnia pericula a se arcere valerent, quibus depellendi singuli in statu naturali degentes impares erant: qui itaque potius metu, ex tot sibi*
im-

imminentibus periculis orto, coacti, quam naturali inclinatione impulsī, libertati naturali renunciantes, in societatem coaluere.

§. 6. Quam diversa sit primæva hominis conditio ab eâ, quam tanquam societatis civilis membrum amplecti debet, facile colligere potest, qui hominis naturam & innatas inclinationes cum hac conditione confert. Innatas & naturales inclinationes eas voco, quæ in ipsâ hominis creatione ejus animæ infusæ sunt, eique tam firmiter inhærent, ut ab eâ divelli eque separari ullâ ratione queant, nemadmodum erga Deum religio, vi conservatio, simillimi procreatio. Omnium vero illarum inclinationum, quas naturales & innatas dicimus, nulla vehementior libertatis studio, quam tanto mortales ardore amant, ut eam vitam juxta æstiment; neque id mirum, quid enim animæ nostræ, quam divinæ particulam auræ veteres dixêre, magis convenit, quam sibi imperare, id est
suo

suo arbitrio, non alieno vivere, & actionibus, quæ a se proficiscuntur, modum & regulam, ad quam dirigi debent, statuere ac præscribere? Talis libertas refert maximè imaginem, ad quam creata est, ac præstantiam generis sui præ cæteris creaturis, quas Deus ejus dominio subjecit atque de iis, tamquam de propriis bonis pro arbitrio suo rectæ rationi consentaneo, disponendi facultatem dedit atque concessit. Hominem vero, cui rationem largitus est, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, e quibus conclusiones format, secundum quas actiones dirigit, nullius nisi creatoris imperio subiectum creavit, unde acres stimuli ad libertatem, quam semel nactus est, generis sui magnum ornamentum & decus, conservandam, quam diu potior & fortior ratio ipsi non suadeat illam abjicere, scil: sui conservatio atque defensio, quæ est finis omnium legum naturalium, quatenus hominem respiciunt,

spiciunt in statu naturali viventem.

§. 7. Hoc autem studium libertatis omne imperium declinat ac respuit; quippe cum ea sit potestas vivendi ut velis. Cic. in *Paradox.* Quam obrem & Justinian. definit *facultatem naturalem, quod cuique facere libet*, ita ut stet pro ratione actionum mearum voluntas & arbitrium meum, imperium autem mihi leges præscribat, quas tanquam regulas dictorum & factorum observare debeam, quibus libertas naturalis fere planè tollitur, sequitur nihil hominis desiderio & inclinationi naturali magis contrarium esse tali imperio; quoniam autem illud imperium est basis ac fundamentum societatis civilis, sine quo diu subsistere nequeat, sequitur planè ab illâ societate hominis naturam alienam esse.

§. 8. Hoc ipsum evidentius constabit, si examinemus, quænam apud eos conditio proveniat, qui in civitatem coivere: hæc enim hominis jam in civitatem

vitatem adsciti conditio est , ut planè
 libertati naturali renunciaret , suamque
 voluntatem summi imperantis arbitrio
 subjiciat , ejus jussa promptè exequatur ;
 quo contingit sæpissimè , ut plurima
 ei facienda imponantur , a quibus in
 statu naturali abhorreret , omit-
 tenda , quæ summo cum desiderio ap-
 peteret , ita ut plurima in se debeat
 suscipere ad communem pacem & tran-
 quillitatem conservandam , utilita-
 temque promovendam , quæ cum li-
 bertate naturali non consentiunt.
 Promptè tamen & sine morâ ei obedi-
 endum , quoniam semetipsum ad om-
 nia , quæ ab eo , qui societati tuendæ
 præest , sibi imponerentur facienda
 & exequenda , obligavit : Nam hoc
 fine in societatem coivere homines ,
 ut securitatem adversus aliorum ho-
 minum injurias obtinerent , illud au-
 tem commodè fieri nequit , nisi sum-
 mo aliquo constituto imperio , cujus
 voluntati singula ejusdem societatis
 membra suas voluntates subjiciant ,
 & simul juri suo resistendi , quo in sta-

D

tu

V / T /
tu naturali , utpote sibi invicem æquales gaudebant , renunciant ; quo fit ut summus imperans sibi acquirat horum omnium submissione , potestatem satis validam ad arcendas a civibus suis injurias , qui finis est societatis : Ita ut boni civis officium negligat , qui secus facit ; nam eum bonum civem dicimus , qui imperantium jussis & mandatis non resistit. Illis imperandi , nobis obsequendi gloria relicta est , ut inquit Tacitus. Quam ab hisce abhorreat hominis voluntas , & inclinatio naturalis , quisque in semetipso experiri potest ; vix liberi parentibus , servi domino debitam obedientiam præstant , nisi pœnarum metu accedente ; vix ephebis excessivus , quin , cum dulcedinem libertatis paululum gustavimus , instigante naturâ ipsâ imperium , quod nobis impedimento est , quo minus pleniore libertatis usu fruamur , abjicere & declinare summâ ope nitamur : existimantes infra nostram esse dignitatem imperio , tanquam fræno , equi instar , duci atque trahi.

§. 9.

§. 9. Quæ cum ita sint, non puto causam societatis civilis appetitum seu naturalem hominis inclinationem fuisse; verum a mutuo metu, ex mutuâ hominum lædendi voluntate ortum suum habente, societatem civilem productam mihi persuadeo. In disputatione nostrâ, quæ præcedit, probare conati fuimus, ante lapsum in statu integro, quem auream ætatem dixere gentiles, hominem nullis pravis cupiditatibus agitatam, nullisque vitiis commaculatum, honesta suo opte ingenio petentem, tranquillè & beatè vitam transegisse; ita ut nullâ lege & imperio opus esset, quod cohiberet mala & inhonesta animi desideria. In quâ summâ beatitudine homines, nullis sibi a se invicem imminentibus malis vel periculis, suâ quisque forte contentus, sine cupiditate deripiendi aliena, vitam egissent, nisi a summo hoc felicitatis gradu vetustissimus mortalium semetipsum præcipitem egisset. Verum postquam animum suum, eousque ab omnibus vitiis purum,

peccato contaminasset, ecce *prodiit* ferrea ætas, omnium vitiorum scele-
rumque mater & genitrix.

*Protinus irrumpit, venæ peioris
in ævum*

*Omne nefas: fugere pudor, verum-
que fidesque:*

*In quorum subiere locum, fraudesque
dolique*

*Insidiæque & vis & amor sceleratus
habendi. Ut canit Ovidius.*

§. 10. Cum tot scelera & vitia, qua-
si contagio quædam, mortale corrupif-
sent genus, homo homini lupo erat,
in se invicem omnia mala & flagitia
machinantes, & in mutuam advolan-
tes perniciem, vivebant ex rapto,
non hospes ab hospite tutus erat, quod
cuique obtulerat prædæ fortuna, id
sibi vindicabat; nullæ rerum certæ
possessions, sed singulis momentis
aliorum invasioni expositæ erant:
Statim atque aliquis iudicabat sibi eâ
re opus esse, quam jam alius occupa-
verat & in suum usum destinaverat,
statim ex jure, quod in omnia habebat,
eam

eam possessori eripere conabatur : Ita ut unumquemque semper paratum esse oporteret ab iis rebus , quibus res suas & semetipsum adversus invasiones & certamina , quæ alius meditabatur , defenderet. Quamobrem optimè statum hunc naturalem statum belli dixere nonnulli. Tot præliis tot tantisque periculis tandem fatigati mortales , semetipsos suasque possessiones & facultates , improborum hominum insidiis & pravis nefariisque cupiditatibus expositas , in securitatem asserere elaborarunt.

§. II. Nullum autem aliud remedium excogitari potuit , quam ut auxilia sibi unusquisque compararet idonea , quibus aliorum imperum & invasionem , ab altero , æqualem habente potestatem , ipsi imminentem , adeo periculofam reddit , ut fatius sibi esse putet manus cohibere , quam conferere , & pace agitare , quam bello laceffere alterum ; Quippe cum homo suæ conservationi maximè studeat , summâ ope nititur ea declinare , quæ præ se

ferunt lædendi speciem. *Principio* inquit Cicero *1. offic. omni generi animantium à natura tributum est, ut se, vitam, corpusque tueantur, declinetque ea, quæ nocitura videantur.* Et Senec. *epist. 2. Primum inquit sibi ipsi conciliatur animal. Nullum animal ad vitam prodit sine metu mortis. Simul enim conciliatur salutis suæ quidque & quæ juvant illa petit, læsura formidat.* Ita ut non facile sese periculo objecturus fit, quando illud vitare potest. Talem vero securitatem consensio duorum vel trium præstare nequit, propterea quod ex alterâ parte, quæ alios invadere conatur, additio unius vel paucorum sufficiat ad eos opprimendos, & ad certam indubitamque obtinendam victoriam, quo fit ut adversarius hac spe incensus, viribus suis fidens, majori eas oppugnandi flagret cupiditate. Necessarium itaque est, quod tantus sit eorum numerus, qui in mutuam societatem conspirant, ut exiguæ hominum multitudini nulla spes relinquatur, ad certam & indubitam

com-

comparandam victoriam. vide Clariss. Pufend. *de J. N. & G. lib. 7. cap. 2.* Quamobrem societas civilis definitur quod sit multitudo hominum ; scilicet talis multitudo, quæ alios ab invasione & impetu deterrere potest. Sed licet numerus coeuntium satis sit validus, nullam tamen securitatem coeuntibus præstabit, nisi inter se consentiant de ratione, quâ communis defensio sit instituenda. Pufend. *eod. lib. & cap.* quid enim, si unusquisque suis utatur viribus, prout ipsi lubet, aliter fiet, nisi quod sibi invicem impedimento erunt, quo minus communis utilitas & securitas promoveatur? quemadmodum vis unita fortior, ita distracta debilior est: Quod in seditionibus sæpissimè cernimus, ubi nulla animorum unio, verum tot sententiæ, quot capita: quo contingit ut ferè semper aliis bonam regiminis formam habentibus sint inferiores. Hinc jam sequitur conspirationem plurium non esse validam satis ad conservationem communem stabilendam,

D 4 dam,

(00)
dam , nisi omnes suas actiones ad eun-
dem finem ac bonum commune diri-
gant, ita ut omnium sit una volun-
tas ; quod commodè fieri nequit , nisi
unusquisque eorum, qui in mutuam o-
pem conspirarunt, suam voluntatem a-
licui subiciat, qui pro lubitu & arbitrio
suo de uniuscujusque voluntate dispo-
nere potest : itaque necessarium est, ut
aliquod concilium constituatur , vel
unus eligatur homo , cujus voluntati
unusquisque suam voluntatem ita sub-
jiciat, ut pro voluntate omnium &
singulorum sit , quicquid ille statuit
e iis rebus, quibus pax communis
conservatur.

§. 12. Huic autem voluntatis sub-
missioni adhæret , & quasi annexum
est pactum , quo unusquisque civium
unicuique cæterorum sese obligat, de
non resistendo voluntati istius homi-
nis, quem tuendæ societati præfece-
runt ; id cum fecerint, habet ille, in
quem imperium contulerunt, tantas
vires ac opes ex voluntariâ subjectio-
ne sibi acquisitas, ut terrore earum
fin-

singulorum voluntates ad concordiam reducere queat.

§. 13. Ex hac unione perfecta jam resultat societas civilis, quæ uno nomine civitas & etiam persona civilis appellatur; & uno nomine ab omnibus particularibus hominibus distinguenda, & dignoscenda, habens jura sua & res sibi proprias. Ita ut quemadmodum pater in familiâ tantum consideratur, cumque sit caput totius familiæ, quique omnia, quæ ad sustentandam familiam necessaria ducit, sibi comparat: ita qui summo in civitate est ornatus imperio, ejus tantum conspicitur majestas, ipsius est mandata dare, leges condere & promulgare, negotia nobis imponere, & quicquid è civitate est diligenter summâque cum vigilantia & industria procurare. Huic igitur jus quæsitum esse debet, ut singulorum viribus ad pacem & defensionem uti possit, illud enim de essentiâ summi imperii est; quippe quod consistit in jubendo, vetando, permittendo ac puniendo. Subjectio

vero in eo potissimum consistit, quando juri suo resistendi renunciant, potestatemque puniendi eos, qui sese inobedientes præbent, & civitatis tranquillitatem perturbant, in aliquem unum vel plures transferunt. Quod fecisse jam antea a nobis ostensum est, ut se suasque fortunas in securitatem assererent.

§. 14. Verum hisce non obstantibus, nihilominus multi hanc opinionem tanquam falsam oppugnant; quem in finem multa proferunt argumenta, quibus probare conantur instinctum & innatam inclinationem, exclusis omnibus aliis, causam societatis civilis fuisse. Primum argumentum desumunt a solitariae vitæ miseris & tædio solitudinis; quippe illud certissimum est, homini per naturam sive quatenus est homo, id est statim atque natus est, perpetuam solitudinem molestam esse: Nam infantes ad vivendum, adulti ad benè vivendum aliorum ope indigent. Hobbes, *de civ. cap. 1.* Verum qui hoc

hoc modo argumentantur, fingunt statum, qui nunquam extitit vel extare potuit. Cum dicimus hominem naturâ societatem civilem declinare eo non affirmare volumus, eum ab omni hominum consortio abhorrere, (sanè nullum animal miserius homine extra omne consortium & consuetudinem sui similium viventem, vitam degeret) verum eo significamus hominem naturâ tam vehementer amare naturalem libertatem, ut prorsus omne imperium studeat declinare, quo naturalis ejus usus aliquatenus limitatur; quoniam vero societas civilis subnixâ est tali imperio tanquam fundamento, sine quo nequit subsistere, consequenter ejus naturam ab hac societate alienam esse statuimus, Ita ut homo extra societatem civilem vitam agens, non ita considerari debeat, quasi in sylvis ferarum instar, extra omne consortium hominum viveret, verum ut vivens in naturali libertate, nullius nisi suo arbitrio & voluntati obtemperans.

Scimus enim ante constitutas civitates, suam quemque patrem familias familiam habuisse, quæ familia erat parva respublica, constans ex patre-familias, uxore & liberis ab iis procreatis, nullius autem persona in istâ familiâ considerabatur, nisi patris-familias, qui totam familiam repræsentabat, ejusque caput & finis erat, cæteri opera sua præstabant, ad paranda ea, quæ paterfamilias ad sustentationem familiæ necessaria duxerat. Itaque quando dicimus homines extra societatem civilem, nullius nisi summi numinis imperio subjectos vitam transegisse, eo significamus, mortale genus aliquando per familias divisum vixisse, quarum familiarum nemo præter patrem familias considerabatur, tamquam supremum summâque potestate ornatum, cui cætera ejusdem familiæ membra morem gerere & natura & naturalis ratio obstrinxerat, mutuâque ope curare; quæ ad tuendam familiam necessaria erant, ita ut omnes eundem finem

scil:

scilicet: familiæ conservationem, ex quâ dependebat singulorum. salus & beatitudo, consequi nitebantur, qui finis erat vinculum cohabitationis & consortii: præterquam quod huic etiam accedebat naturalis erga se invicem propensio & benevolentia, una ex geniturâ & procreatione, altera ex corporum conjunctione & communicatione originem ducens. Tota itaque familia tanquam unus homo considerabatur, cæteri ut uxor & liberi erant quasi accessorium principalis, nimirum: patrisfamilias; attamen dignitatis erat gradus, ita ut uxor præfereretur liberis, sicut etiam majorem observantiam liberi debebant parentibus, quam uxor marito: Verum regimen Monarchicum erat penes patremfamiliam tantum residens, nunquam penes fæminam; quippe contra naturam videtur, ut fœmina viro imperaret, quanquam id ipsum in societate civili aliquando contingere videmus, quod pro monstro regiminis habendum, quam obrem semper a statu na-

turali exulavit: quoniam foeminam natura orbavit istis facultatibus, quæ ad familiam tuendam requiruntur; postulat enim naturalis ratio, ut ille, qui in statu naturali familiæ gubernationem & regimen habet, æqualibus viribus aliisve facultatibus ut ingenio & industriâ instructus sit, quibus cæteri, qui eum vel familiam invadere & opprimere machinantur, præditi sunt: qui enim familiam quis tueri queat, qui & viribus & consilio aliis longè inferior est, ille semper aliorum insultui & invasioni obnoxius erit; nam id ipsum me in statu naturali viventem, aliquatenus reddit securum, quod scilicet: ei, qui me invadere conatur, æqualis sim: quia, cum homo vehementer seipsum amet & sui conservationem maximè cupiat, non facile se periculo objiciet, & consequenter non facile invasurum eum puto, quem sine periculo & damno suo obruere nequit, quod sibi non polliceri potest, ubi vires cæteræque animi facultates æquales sunt.

S. 15. Quis autem negabit sexum fœmininum, & viribus, & ingenio, industriâ, cæterisque animi facultatibus masculino longè esse inferiorem, quamobrem Apostolus Petrus fœminas vasa infirmiora vocat, quæ alieno auxilio indigent, ita ut non tantum viribus obrui, sed masculinâ industriâ facile decipi possint, propter sexus fragilitatem, & ingenii ac iudicii imbecillitatem levitatemque, secundum illud Distichon.

Quid levius fumo? flamen; quid flamine? ventus

Quid vento? mulier; quid muliere? nihil.

Quam obrem olim Romani hac ratione moti voluere, ut in perpetuâ mulieres essent tutelâ, teste Boëtio in *Topic. Cic.* Unde Cicero pro Muræn. testatur, *Majores voluisse omnes mulieres propter consilii infirmitatem esse in potestate tutorum.* Quemadmodum itaque rectæ rationis dictamini contrarium est, alicui regimen aliorum com-

committere, qui se ipsum defendere neque regere potest, ita etiam contra rationem est faminam tuendæ familiæ præficere, utpote quæ potius ad parendum, quam imperandum nata sit, ita ut regi, non regere ejus naturæ sit magis conveniens.

§. 16. Ex hisce, quæ antea diximus & hic paulo latius explicavimus, satis lucidè constare puto, phrasin illam, scil. *homines aliquando extra societatem civilem nullius nisi suo arbitrio, vitam traduxisse*, intelligendam de singulis familiis, quæ segreges habitabant, cujus persona id est patris familias, omne regimen habens, solus considerabatur, cæteri tanquam sequela & accessorium ejus, a cujus arbitrio dependebant, cuique morem gerere debebant.

§. 17. Ejusdem ponderis & momenti est illud argumentum, quod est a sermone & loquendi facultate deductum. Quam enim ob causam mortalibus loquendi facultas concessa est? natura quippe nihil frustra fecit, atque cui-

cuique facultati sunt sui assignati fines, homini itaque loquendi potentia datâ, ea socium postulat, cui loquitur, alias enim nullum homini præberet utilitatem. Sed quis perspicere nequit, quam crudum hoc sit argumentum? Quis unquam sanâ mente præditus, dubitavit, etiam alibi, extra societatem civilem sermonis usum necessarium esse, & longè ante institutas civitates mortales sermone usos fuisse. Fateor libenter facultatem loquendi requirere socium, cui loquitur, ita ut si solus fuisset homo, frustra ea ipsi esset concessa; verum crassus eorum error est, qui eam tanquam fundamentum societatis civilis considerant: Nonne quæso ante societatem civilem, cum per familias divisum esset mortale genus, cuique patrifamilias opus sermone fuit ad regendam familiam? nonne cuique facultas loquendi necessaria fuit, ut homines sibi invicem animi significarent desideria? nonne ad fœdera facienda, pacta ineunda, contractus celebrandos (quæ omnia

omnia ante civilem societatem inter familias obtinuisse mihi persuadeo) opus sermone fuit? imo an ullum negotium ab hominibus peragi potuisset non interveniente sermone? itaque non civilis societas, sed hominum multiplicatio sermonis finis est.

§. 17. Alterum argumentum, deductum a cupiditate, quâ homo cum aliis sui similibus vivendi flagrat, ipsa hominis natura evertit. Huic argumento Hobbesius satis subtiliter respondit; scilicet hominem esse reverâ animal, quod se ipsum, suamque utilitatem maximè & principaliter amat. Itaque si appetat societatem, iste appetitus non provenit ex instinctu & inclinatione naturæ, verum quod provideat suæ utilitati non posse consilere, nisi hac ratione; idque ita probat, si homo hominem amaret naturaliter, nulla ratio reddi posset, quare unisquisque unumquemque non æquè amaret, ut æquè hominem, aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate ipsi potius, quam aliis defertur honor.

NOS

nos & utilitas. Quippe si ex amore at-
 que propensâ erga se invicem volunta-
 te & quasi naturali quodam impetu ad
 societatem colendam ferantur mor-
 tales, cur majori cum desiderio appe-
 timus eorum consuetudinem, in quo-
 rum societate in nos potius, quam ali-
 os confertur honos & utilitas. Sane si
 mortales naturali impetu traherentur
 ad societatem, nullâ habitâ ratione vel
 honoris vel utilitatis hominum socie-
 tatem appeterent. Sed luce meridia-
 nâ clarius est, nos eorum consuetu-
 dinem desiderare avidissimè, quo-
 rum in societate nostræ utilitati &
 honori potissimum inservire possu-
 mus. Ita ut si homo sine commer-
 cio vel auxilio sui similium sibi pos-
 set acquirere illa commoda, sine qui-
 bus beatam vitam agere nequeat (quæ
 beatitudo ex unius cujusque pendet ju-
 dicio) omnem declinaret societatem;
 verum quoniam solus sibi non sufficit,
 socium quærit, cujus societas ac ami-
 citia sibi adferre posset ea, quæ deside-
 rat, quæque sibi utilia judicat. Non so-

focios igitur, sed ab illis honore vel commodo affici, naturâ quærimus, hæc primario, illos secundario appetimus. Hobbes *lib. 1. cap. 2.*

§. 19. Hujus inclinationis causa est innatus amor, quem homo habet erga se ipsum, qui eum assiduè impellit, ut pro salute & beatitudine, quantum vires ferunt, vigilet; ideoque talis inclinatio non damnanda videtur quasi rectæ rationi non responderet, sed potius approbanda & laudanda, quia innato amore subnixâ est, ideoque legibus & rectæ rationi consentanea. Prima & fundamentalis naturæ lex est *Conservatio sui ipsius*. Quæ lex ad hominem, non ut membrum alicujus societatis, sed ut singularem, exclusis cæteris hominibus, quibuscum commercium & consuetudinem habere posset, pertinet: Ista autem conservatio non consistit tantum in depellendis a se omnibus periculis & malis, quæ corpori inferuntur & illud ipsum nocere possent, sed etiam in acquirendis iis rebus, quæ
ad

ad vitæ beatitudinem & utilitatem pertinent, cujus generis sunt opes, divitiæ, honores, gloria: quoniam vero hæc commoda nemo sibi acquirere quit, nisi ope & auxilio aliorum hominum accedente, hinc quisque sibi socios quærere studet, quem in finem omnia adhibet media, quibus aliorum amicitiam sibi comparare queat, in quorum numero sunt simulatio amoris, & officiorum in alium collatio, quorum unicus scopus & finis est, ut quisque suam utilitatem & gloriam ac honorem, quantum in se est, promoveat.

F I N I S.



E R R A T A.

Pag. 8. lin. 17. adde in. pag. 16. lin. 9. leg. pro disputetur disputatur. pag. 26. lin. 8. pro cæterus leg. cæteris. lin. 10. pro inferiores leg. præstantiores. pag. 52. lin. 23. pro una quæ leg. unaquæque. pag. 66. 10. pro aliis leg. alii. pag. 68. lin. 6. pro primum leg. primo.

Si plura menda irrepererint, ea æquirati & dexteritæ candidi lectoris corrigenda relinquo.



Digitized by Google

